

tariis negantibus realem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia, & manducationem realem.

Cur Sorbonicis magistris placuerit, res easdem consarcinando, titulos mutare, non video, nisi ut fucosa farraginis suæ varietate me obruerent. Quintius apud Liuium, inanem Antiochi iactantiam de multiplicibus copijs deridens, lepidam de hospite suo Calchidensi fabulam adducit, qui ex vno suo domestico tam multa feracula varie condierat, ut putarent conuiuæ non parum liberaliter se fuisse exceptos. Sic isti, ut magnam *venerationis* speciem Regi præberent, bis & ter idem ferculum, mutato solum nomine & colore, protulerunt. Ego vero, etsi mihi abunde omnes eorum calumniasiam refutasse videor, ne tamen hoc ipsum in calumniam trahant quòd apicem vllum præteream, residuas eorum censuras breuiter perstringere decreui: nisi quas ex superioribus locis ad verbũ transcriptas huc iterum contulerunt. Primo loco me accusant, quòd sexto capite Iohannis verã, realem & sacramentalẽ corporis Christi sumptionem taceã. In promptu mihi est responsio: Euan-

*nationis*